



387


I H C!
INVENTUM BRANDEN-
BURGICUM

Sive
ANDREÆ MULLERI

GREIFFENHAGII,
Præpositi Berlinensis,

PROPOSITIO

super
CLAVE suâ SINICA,

- * * *
* * *
- I.  Multa olim boni publici commodo *inventa* sunt.
Multa hodieque *inveniuntur*.
Multa restant *invenienda*.
2. Ex his quibusdam *Premia* statuta sunt ab iis, quorum interest.
3. Sed pleraque *impossibilia*, quædam vero *futilia* visa sunt, antequam *res ipsa* loqueretur.
4. Multi etiam *aureos montes* frustra polliciti sunt, meritòque iis occentum fuit illud Poëtæ:
Quidve feret dignum tanto promissor hiatu?
5. Quid si in hunc censum *Clavem Sinicam* referas, h. e. rationem legendi, quicquid Sinicè in tantâ adeoq; decantatâ characterum copiâ scriptum est.

6. Futi-

6. *Futile* certè boni quique non dicent hanc operam. Sed *utilem* potius. Qui enim *legere* novit, eopse *intelligit*, quæ scripta sunt.

7. Prodest etiam *foris domiq.*

Prodest (a) *SINIS* ipsis. Habent enim *Lexicon* satis amplum. Sed imperfectum. Legunt singuli *literatorum* multa. Sed non omnia.

Prodest (b) *VICINIS* eorum. Japonibus nempe, Coreanis, Tunchinensibus, Cochinchinensibus, Sionibus, Cambojanis, Peguanis, Laïs, aliisque, qui *iisdem characteribus* utuntur, sed differentissimis linguis.

Prodest (c) *EXTERORUM Legatis & Missionariis*. Per eos enim, & sub illis titulis in Sinas penetrant, qui lege per diu prohibebantur.

Prodest (d) *Mercatoribus* & ibidem *locorum peregrinis* quibusque. Destituti enim commodo interprete, scripto (quod huic genti solenne est) animi sententiam declarare poterunt.

Prodest (e) *Fidei Christianæ Propagatoribus*, secundum *Societatis Jesu Patrum Praxin & primitivum Nicol. Trigaultii* Judicium. Exped. Sin. I. 37.

Prodest (f) *Medicis*, secundum *Velschium*, Ephem. Germ. T. I. Obf. 153.

Prodest (g) *Literatis* quibuslibet. Hæc enim ope tam *Sinensium* quam *Exteriorum* scripta, quæ nunc passim habentur & haberi possunt, legi & dijudicari possunt. Sicque penitus cognoscere dabitur, quâ ratione *Societatis Jesu Patres* Elementa fidei iis in terris tradant, quidque *Sinenses* in omni scientiarum genere, sive cum aliis communia habeant, sive præ aliis tractent, sive contra nostratum principia statuunt, quidque de *Annalibus* eorum, qui nostrâ hæctenus linguâ extant, habendum sit.

Prodest (h) *Universalis characteris* cupidis. Hic enim invenient, quod quærunt.

8. Sed *Memoria* permolestum est Sinicum hoc *Scripturæ* genus, secundum *Trigault*. l. c.

Martin, Præf. p. 3. & *Hist. Sin.* p. 362.

Rhodes, p. 84.

Nulla

Nullâ quippe arte vel normâ compositum, sec. *Spizel.*
p. 15. è *Martinio.*

Adeò, ut *Martinus* disertè scribat:

*Quod ejus cognitio humanas vires & etatem superare
videatur.*

*Quodque decem ipsos annos in hoc molestissimo stu-
dio consumpserit.* Sicille. *Hist. Sin.* præfat. p. 3. & 4.

9. Ideoque *impossibilibus* nemo non annumerabit CLAVEM, quam meditor, SINICAM.

10. Attamen illam tantum non in promptu habeo, atque *Arca-
num* illud (quo Sinicorum characterum lectio facilè, & facilius, quam
ullius aliùs Scripturæ, expediri, totaque legendi ratio exactissimè co-
gnosci potest) non premam temerè.

11. Nunquam equidem de ratione legendorum librorum Sini-
corum cogitavi.

12. Sed aliud agenti pridem obtigit mihi per Dei gratiam!

13. Eam *Clavi* quâdam tradere animus est, si *congruum* ali-
quod *præmium* sive *Principes*, sive *Respublica*, sive *Societates* statuere
dignentur. Quod ab iis, qui desiderio *Clavis* teneantur, statui ma-
lim, quam ipse statuere.

14. Nihil autem est, quod amplius *promittam*, nisi quod so-
luto sub cautione præmii dimidio (alioqui, ne in sinistras manus post
fata deveniat, nihil de struendâ *Clave* laboris,) DEO dante intra se-
mestre, aut citius CLAVEM concinnaturus, posteaque quemcunque,
etiam mulierculas & pueros, intra paucos dies docturus sim, ut nihil
non integrorum contextuum ex quibuslibet libris, aliisque congruè
scriptis chartis, præsentibus *Auspiciis* *Dægatis*, non *Sinicè* quidem
sed *Latine* vel *Germanicè*, vel *Anglice*, vel *Gallicè*, vel *Belgicè*, vel a-
lias legant.

15. Quâ verò linguâ legenda sint, de eò ante omnia convenien-
dum est.

16. Si *Sinicè* quis legi velit, præmium augendum est.

17. Sic & si *pluras*, sive numero sive qualitate differentes, con-
ficiendæ sint *Claves*.

18. Maximè, si postea non communicandum sit aliis inven-
tum.

19. Etsi

19. Etſi non cuivis communicare ejuſmodi ſoleo. Tantummodo, quia vulgata tanto citius negligi ac vileſcere ſolent, atque interea re conſectâ etiam ſtupidi garrere ſolent : HOC ET EGO POTUISSEM.

20. *Leſtio experimentalis conſignanda, & Examini ſubjicienda eſt eorum, qui aliâs norunt nonnihil legere, uti quidam ſunt.*

21. Poſt, ubi præmii pars altera ſoluta fuerit, *Clavis ſtructura* commonſtrabitur, ipſaque tradetur.

22. Hæc ſunt, quæ publicè profiteor. Non ut *lucrum* faciam, ſed ne mundo *invidiſſe* aliquando dicar, quo prodeſſe potuiſſem.

23. Nemine officium requirente, nemo jure merito me accuſabit poſteâ, ubi exceſſero nihil præſtans rerum gerendarum ſubſidiis deſtitutus.

24. Si qui plura tamen circâ propoſitum meum intereâ deſiderent, *Commentarios* meos conſulant, quos de *Monumento Sinico* edidi, pag. 10. & ſeq.

* * *

הרבה מעות יש לי ואין

שלחני להרצותיך

Κεῖν ὁ μὲν πανάρετος, ὃς εἶ ἐνώπιον πάντων,
Ἐδὸς δ' αὖ γὰρ κεῖν, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ.

AD

MAJOREM DEI GLORIAM.

d. 14. Februarii.

ANN. MDCC. LXXIV.

☉ (O) ☉